



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Manuale Exorcismorum

Eynatten, Maximilien de

Antverpiae, 1626

Exorcismus pro butyro.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40734

246 MANVALIS EXORCISMORVM
nocumenti, morbi, infirmitatis, mœroris
aut anxietatis occasio. Per eum qui ventu-
rus est iudicare viuos & mortuos, & sæcu-
lum per ignem. *Resp.* Amen.

EXORCISMVS *pro butyro.*

EXorcizo te creatura butyri, per Deum ✠
viuum, per Deum ✠ verū, per Deum ✠
sanctum, per Deum qui hominibus ab ini-
tio pro sua bonitate ad vsus vitæ huius cor-
ruptibilis butyrum de armento dedit & lac
de ouibus: vt nihil in te loci habeat aduer-
sariæ cuiuscumque virtutis operatio, nihil
in te potestatis malitia satanæ, nihil ars dam-
nata quorumuis vtriusque sexus illi impia
ac nefaria societate adhærentium, vt quouis
modo substantiam tuam minuant vel cor-
rumpant, vel quacumque ratione homini-
bus noxiam reddant: præstante illo & ser-
uante, qui venturus est iudicare viuos &
mortuos, & sæculū per ignem. *Resp.* Amen.

Alius generalis EXORCISMVS.

A Diuro te, quicumque es quietis hu-
manæ perturbator, per Patrem ✠, &
Filium ✠, & Spiritum ✠ sanctum, vt no-
cere desinas huic domui, neque audeas
malefacere frugibus & omnibus quæ in do-
mo sunt, frumento, vino, oleo, lacti, butyro,
caseis, ouis, vel animalibus, ceterisque om-
nibus ad hanc domum pertinentibus. Hoc
tibi

tibi imperet Dñs Iesus Christus per suam sanctam natiuitatem, baptismum, ieiunium, & per amarissimam suam passionem, crucem & mortem; denique per sanctam suam resurrectionem, ascensionem in cælos, & Spiritus sancti missionē. Cogant te suis precibus & meritis apud Deum exequi mandatum istud, beatissima Virgo & mater eiusdem Domini nostri Maria, nouē chori Angelorum, Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, Euangelistæ, Martyres, Confessores, Virgines, Viduæ, & omnes Sancti & Sanctæ Dei, quibus hæc domus & omnia ei contingentia cum omnibus habitantibus in ea sit in protectione & custodia contra omnes insidias inimici. Per eundem Dominum, &c.
Resp. Amen.

Alius EXORCISMVS contra inuisibilem lactis, butyri, vel aliarum rerum per incantationes ablationem.

Vers. Adiutorium nostrum in nomine Domini. *Resp.* Qui fecit cælum & terram.

Vers. Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo. *Oremus.*

OMnipotens sempiternæ Deus, qui ad seruandam inter homines pacem, furtum facere, & rem proximi concupiscere prohibuisti; obsecramus clementiam tuam,